

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber  
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XVII. Qualiter Christus profitentes in suos suscipit amplexus.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

Quibus  
studere  
debeant  
Novitiæ.

« In his quoque specialiter se studeant exercere : sæpius et devote orent ; divinam Scripturam libenter legantet audiant ; studiose laborent ; obedientiam et regulam cum omnibus sibi statutis diligentius teneant, et perfectam in omnibus humilitatem habeant, nulli se comparantes, et nullum omnino spernentes. Sicque dum orant, meam divinam voluntatem et quæcumque indigent eas docebo, et in lectione meam eas degustare faciam suavitatem. In laboribus quoque eas sanctificabo ; in obedientiæ et regulæ observatione eis compati et eas roborare atque coadjuvare volo ; et in humilitate earum in eis requiescere volo. »

---

## CAPUT XVII.

QUALITER CHRISTUS PROFITENTES IN SUOS SUSCIPIT AMPLEXUS.

Virtutes in  
Religiosa  
professione  
imperrandæ.

**I**n die autem professionis earum, cum iterum pro eisdem orasset, dixit ei Dominus : « Orare me debent ut dem ipsis oculos intelligentiæ, quibus me et omnia illis salutaria videant, et vere agnoscant ; aures obedientiæ, ad omne imperium et prælati sui voluntatem paratas ; osquoque sapientiæ, quo laudem meam semper proferre, et quæ proximis congruunt, docere et loqui sciant. Postulent etiam cor amans sibi dari, quo me et omnia in me et propter me pure diligent ; manus autem bonæ operationis, ut omnia quæ agunt, intente faciant et studiose. »

Cum vero Litania pro ipsis fieret, vidi beatam Virginem et deinde singulos Sanctos, qui ibi nominabantur, flexis cum reverentia genibus pro ipsis Dominum exorare.

Et dum professionem facerent; Dominus Jesus eas in amplexus amantissime suscepit, porrigens singulis dexteram suam in adjutorium voti sui, et protectionem a malis. Accedentibus etiam ad Communionem dulcissimum osculum singulis infixit, in quo unum cum ipso felici unione sunt effectæ.

## CAPUT XVIII.

## DE AMPLEXU DOMINI.

**C**OMPATIENS quandoque cuidam personæ, quæ in causa quadam non plene consentiebat voluntati magistratus sui, orabat Dominum, quatenus mentem ejusdem personæ gratia sua dignaretur illuminare, et ad obedientiam inclinare. Etecc vidit Dominum Jesum stantem, et ipsam pro qua orabat personam dextro brachio circumplectentem, ac dicentem : « Ex hora illa qua voluntatem propriam in manus prælatorum suorum mihi consignavit, ego eam in amplexum suscepi, nec unquam dexteram meam relaxabo ut eam dimittam, nisi forte ipsa sponte sua retrorsum se subtrahat mihi; et hoc si fecerit, de cætero non poterit in priorem locum redire, nisi se inclinet. » Ex quibus verbis illa intellexit quod Deus in die professionis cuiuslibet Religiosi, ipsum in paternum suscipit amplexum, a quo nunquam eum dimittit, donec homo, quod absit, voluntaria deliberatione obedientiæ contradicat. Tunc quasi subtrahit se dexteræ Dei; cui non poterit de cætero implicari, donec per veram pœnitentiam ac dignam satisfactiōnem se humiliter Deo prosternat, votum deinceps libenter obediendi pollicendo.

Obedientiæ  
mancipatum  
Dominus  
stringit  
amplexu.